ORATIO
PRO LOGICA
HABITA A ROSATO BRVNO ROM. IN COMICIIS GENERALIBVS, CVM ESSET DE EA DISPVTATVRVS,

Iuſſu I OANNIS *M*ARIAE *Caſtellettae Praeceptoris, Monachi Sylueſtrini*.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE



Dum vigor eſſe Roſae, forteſq. rugire Leones,
Dumue Columba poteſt pulchra volare, fruor.

Tria Diſticha Ioannis Mariæ Caſtellettæ ad Inſigne.

Et Roſa dum fragrat, rugiunt forteſq. Leones,
Non eſt cur timeam, dumue Columba volat.

Aliud.

Alta Columba faue, geminiq. fauetę Leones,
Hala, quis trepidet? candida tuq. Roſa.

Maceratæ, apud Sebaſtianum Martellinum. M. D. L X X X.

ILLVSTRIS. AC REVERENDISS.[MO] D. D. IACOBO SABELLO S. R. E. CARD. AMPLISS. AC SANCTISS. D. D. Vicario digniſs.[MO]

Iacobus Mercatus à Scapezzano Monachus Syluestrinus ſeruus humillimus S.P.D.

NOSTRAE quidem Congregationis, felicitate quadam, Cardinalis ampliſsime, factum eſſe cõſtat; vt te virum optimum patronũ adoptauerit: duo enim praeclara praestitiſti, et eorum immanitatem, qui moleſtiã exhibebant in eius perniciem, tua poteſtate, qua plurimum vales, perculiſti, vt ſecura iam degat: et nos ad priſtinam pietatem, et doctrinã, quibus in primis tu praeditus es, languentes iam, et defeſſos reuocare cœpiſti. Ad eũ profectò locũ res peruenit, vt iã prorſus non externorum, ſed Monachorum Fratrum ope vtamur, cùm in litteris, tum in pietate: inter quos proculdubio Patres, qui vnũ Deum curant, & ſtudioſi iuuenes Io. Ma-

RIAM *Caſtellettã praecipuè tibi debent, virũ (praeclarè noui diſcipulus Praeceptorẽ) diligẽtem, doctũ, et probũ: ex quo, ſi te benigno vtemur, imo ex te eodẽ ipſo liberalitatis, prudentiae, et humanitatis vberrimo, et perẽni fonte, nõ ſquallentes, et aridi, ſed multa interdũ aqua fluẽtes riuuli deducentur: dictauit iſte, cùm vellet Logicã auſpicari, diſcipulis pro logica orationẽ: ego verò (eo tamẽ inſcio) ſed doctis quibuſdã ſuadentibus, eamq. non inferiorẽ iudicantibus alia ſimili Sũmo Pontifici dicata, imprimendã curaui, an audax, et impudẽs, neſcio, ſub tuo patrocinio, clariſſime Princeps, vt qui ex te fructus proficiſcuntur, ijdẽ ad eundẽ, veluti flumina ad mare, recurrãt, adiectis aliquot carminibus ipſius de te, et aliorũ de ipſo. Accipe quaeſo, et foue, vt alia parentur, et* IO. MARIAM, *qui tuo ampliſſimo nomini iãdiu deditus, nil aliud dies noctesq. agit, q̃ vt tibi vni in ſuo munere ſatisfaciat, tua ſummae amplitudinis auctoritate tuere, atque defende. Vale, viueq. diu.*

IO. MARIA CASTELLETTA AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. CARDINALEM IACOBVM SABELLVM.

CElsa (Sabelle) domus qui pangere ſtemmata priſcae
Me putat his paucis, tũdere tentat aquã:
Ora poetarum, quae vix centena referrẽt,
Vixq. recenſeret Vergiliana chelys:
Sanguis in orbe tuus clarè generatus auita
Progenie, magnos ſuſtulit ante viros:
Vnde ſatus veteres tu vicis honore Sabellos,
Nulla tuo virtus pectore mitis abeſt:
Naſcitur ex alto vbertim prudentia ſenſu,
Miratur quisquis mente probata tua.
Cardinibus Caeli nixus, ſophiaeq. peritus,
Fida laris ſtatio, portus, & aura tui,
Puppis vbi, ſtatio fluctu rimoſa moratur,
Tu portus, ſoboles tanta triumphat vbi,
Comiter aura fauẽs famulus lãguẽtibus vna
Sis memor ergo mei, ſeruulus eſſe volo.

Idem ad eundem.

Viue, vale, & gaude, Princeps generoſe SABELLE,
Viuat vt hic virtus deperitura breui.

CAMILLVS ESAIAS FABRIAN.
Ioannis Mariæ Caſtellettæ diſcipulus.

AVSPICIIS ò culte liber felicibus exi;
Imo te clarus cordè SABELLVS *amat.*

Iacobus Mercatus Monachus Syluestrinus eiuſdem diſcipulus.

NOBILIS *ecce mei contorquent praela Magiſtri*
Scripta diſerta, tace lurida lingua modo.

Vincentius Iuſtinianus ad eundem.

QVAE *tua (Praeceptor) didici modulamina, reddo;*
Sic vellem mores reddere poſſe tuos.

Alter Vincentius Iuſtinianus ad Ioannem Mariam Caſtellettam præceptorem.

EXEMPLO CHRISTI *caſtos componere mores,*
Quae & debent homines noſcere ſola, doces.
Exuis hinc illos ſe ipſos, & numine veſtis;
Vt videant quid ſint ſenſus, amor, pietas.

Iulius Cæſar Brunus Columnellenſis ad eundem.

QVIS *laudum narrare poteſt praeconia tanta?*
Quis CASTELLETTAE *verſibus acta canit?*
Doctus habendus homo, dictandus in orbe Poetis,
Et meritò volitat nomen ad aſtra ſuum.
Moribus imbutus, Natura factus ad vnguem,
Hic SYLVESTRINAE *Relligionis honos.*

MVLTA (Reuerendiſſime Pater, cæteriq;
Auditores ornatiſſimi) ſe ſe mihi offe-
runt hodierna die, quæ magnum timorẽ
poſſunt afferre dicenti: ſiue debilitas po-
teſt aliquid afferre perturbationis; puer
eſt, qui dicit, totus imbecillis, ac debilis; à
cuius ore, quid poterit proficiſci, quod puerile nõ ſit? ſen-
tio enim, & fateor, nihil in me eſſe hominum cognitione
dignum: ſiue loci Amplitudo, hic ad dicendum eſt ornatiſ
ſimus, qui æternæ mentis illius domus appellatur, quæ elo
quẽtiſſimorũ hominũ tantum, eorumq; doctiſſimorũ præ
ſentia gaudere ſolet; hic præcipua quadã ratione vnà ani-
morum noſtrorum parentem amamus, Dominũ veremur;
aſſiſtunt in hoc templo, qui verba excipiant, Angelorum
agmina, diuinæq; Maieſtati obſequium reuerentiæ plenũ
exhibeant, quòd non tam variis coloribus lapide quadra
to, gẽmis, & coronis aureis ſpectandum eſt, quàm ſanctiſſi-
ma diſciplina, varietate virtutum, & actionum venuſtate
venerandum: ſiue audientium dignitas, magna nobiliſſi-
morum hominum corona dicendum eſt, inter quos qua-
ſi Sol inter aſtra *Praeſulis* Nucerini clariſſimum lumen ef-
fulget, cuius ſplendorem, oculorum aciem cùm intendo,
ferre non poſſum; licet enim mirandum in modum recre-
et, affert tamen magnum timorem, vt expectationi par eſ-
ſe non poſſim: ſiue ipſa orationis materia, cuius maxima
cum dignitate eſt difficultas, quæ vt videri poſſit, petit ocu
lum intellectus in ſe ipſum reflecti, quod quàm ſit arduũ,
rem vel mediocriter conſideranti patebit: difficile præte-
rea ſolet eſſe audientium aliquorum iudicium, ſæpeq; acci
dere, vt quæ audiunt, derideant, hi præſertim, qui pauci nõ
ſunt, qui vita ſunt ſatyri, & moribus, cùmq; id, quòd ex a-
liorum officina depromitur, damnent ſemper, & accuſent,

nihil vnquàm habent, quod probent. Hæc omnia, & multa alia magnopere me conturbant, quem loqui neceſſe eſt, tacètibus aliis; ſed quid facerem? cupienti mihi iam tacere obſtitit Præceptoris auctoritas, cuius non ſolū imperio, ſed etiam nutui libenter parendum eſt, qui diceret, hominem, qui ſtudet ſeſe præſtare ceteris animantibus, ſumma ope niti debere, ne vitam ſilentio tranſeat, veluti pecora, quæ ſunt intenta ſolum, vt ventrem expleant. Quare Antiſtes Ampliſſime ſi videris meam orationem ſæpe de ſuo curſu depulſam; & meæ imbecillitati veniā dabis, & tibi ipſi adſcribes, cuius cōſpectu gaudeo non ſine timore; quo fit, vt te primum, tum reliquos omnes orem, atq; obteſter, vt veſtra beneuolentia meam mediocritatem, & inopiam adiuuetis; à vobis noſtræ religionis ingenui adoleſcentes, cum quibus præcipuè loquor, peto ne comptam, & ornatam, ſed nudam, tenuemq; orationem à me expectetis, cuius etiam filum quàm ſæpiſſimè deſiderabitis, tantùm enim quid ſentiā de Dialectica dicturus ſum, vt neceſſitate illius patefacta, neruos omnes ad hanc vnam comparandam intendamus; qua tanquàm gradibus quibuſdam ad Theologiam, & litteras ſacras intelligendas doctrinarum omnium reginam paremus adſcenſum, quæ peculiari quadam ratione nos à ſenſuum conſuetudine abductos in rerum conditoris, & conſeruatoris cognitionem, & amorem ducit, vbi tam decore illuſtrari poſſumus, vt totius naturæ, & noſtri ipſorum, & non immerito quidem obliuione capiamur.

Facultas diſceptatrix eſt huiuſmodi, vt per eam, & nosmetipſos magna cum efficacitate in animos eorum inſinuemus, quibus cum agimus, & ſæpe duras, obſtinataſq; mentes perfringere poſſimus; cuius vis tanta fuit omni temporum memoria, vt nulla fuerit tam aſpera gens, quæ

etiam inuita nō concedat eius viribus,nulla tam pertinax, & obfirmata voluntas,quæ ſe nō victa permittat eius egregiæ facultatis arbitrio;ponite vobis ante oculos , vt magis eluceſcat eius præſtantia,nil haberi , excogitariuè poſſe ab homine ratione maius,nihil non dicam in homine, ſed in omni cælo, ac terra præclarius,donum Dei optimum,vtilitate maximum,nobilitate primum,genere ipſo illuſtre; nihil ita abditè latet,quod quærendo non inueniat,inueniēdo non percipiat,percipiendo non diſponat , & diſtribuat; diſperſa redigit in vnum, redacta ſeparat , præterita reuocat in memoriam,videt inſtantia,futura diuinat, & poſtrema in cōparationem deducens cum primis, omnium curſum, & conſequentiam euentorum animaduertit . Hæc a brutis nos planè diſiūgit, omnia cernit principia, cauſſasq; rerum videt,optimè docet,& explanat,quid faciendum,fugiēdumuè ſit ; nil deniq; accedit propius ad Archetypum, ſi viris ſapientibus credimus ; hæc res ab omni concretione mortali ſegregatas contemplatur;hac viuimus, hac cogitamus,hæc omniū(vt Thaleti placuit) velociſſimum eſt, vt vno temporis puncto cælum omne colluſtret,maria peruolet,terras,& vrbes peragret omnes; ſola hæc videns corporis motus perturbatos comprimere poteſt,& ſecū digna quadam tranquillitate verſari , in illoq; pacatiſſimo otio res naturæ conuenienter meditari ; hæc oculis quantum fieri poteſt in ſacroſanctam,ac venerandam Trinitatem intentis aſſiduè ſecum expendit , quàm excellens ſit diuinæ gloriæ maieſtas , diligenter intuetur ſapientiæ infinitam vim ſolidiſſimam, ac omni fluctuatione vacuam tranquillitatem affectione omni , ac motu carentem naturam;qua exercitatione mores noſtros ad æquitatem ; ad iuſtitiam , ad modeſtiam,& tranquillitatem componit ; fieri enim nō poteſt quin Sol res eas illuminet, ad quas appulerit radios

ſuos. Magna quidem ſunt hæc,& non minoris momenti, quæ omitto:ſed quid tandem hæc omnia ſi multis erroribus implicantur? potius quidem vituperatione digna eſſe videbuntur,quàm laude;cùm poſſint igitur errore permiſceri,& quidem turpiter,neceſſe fuit artem quandam inuenire, ad quam tanquàm ad regulam actiones principis huius facultatis perpenderentur, & cuius beneficio hæc tanquàm patrimonium a Deo nobis benignè relictum, & cuſtodiretur,& amplificaretur; non poterit igitur non eſſe maxima dignitas Dialecticæ facultatis,quæ rem per ſe nobiliſſimam nobilitet magis,quæ vt clauus aureus hanc Illuſtriſſimam nauem dirigat, rectamq; teneat, ſine cuius ductu non audeat ſeſe mari committere,quin timeat certiſſima naufragia, huius præſidio deſtituta,naues non conſcendat,reflantium ventorum vim vereatur, metuat inſaniam furentium fluctuum,timeat rabiem procellarum,horreat ſcopulos prominentes. Ne labatur igitur ratio,vis diſſerendi inuenta eſt,qua perficitur in ſe ſe reſidens,nunc diuina,nunc humana,nunc ſumma,nunc infima ſua luſtrans acie,nunc ſe ſe inſpiciẽdo,cuncta ſibi cogitatione proponit,non hebeſcit,non obtunditur,non obcæcatur, non ſe pellitur,non inſanit, hac duce ratio, mentis oculus inter verum, falſumq; diiudicat,eligit virtutes;hac comite,intelligentia animi vis tuto ea percipit, quæ ſub adſpectum nõ cadunt;hæc iudicium admonet, quid in re perſequendũ, declinandumuè ſit,quaq; via veris falſa redarguantur, conſilium altè petitum adiuuat, quo plura perpendat, & ponderet;operam præſtat ingenio,vt ſe ad incognitorum notitiam exerceat. Quòd ſi vix homines eſſe ducuntur,qui nõ ſtudio, & labore rationem meliorem efficiunt, quis nos a ſocietate hominum non amouendos eſſe arbitretur? qui cùm aliis exemplo eſſe debeamus, illam non excola-

mus:quis non potius nos hominum quædam ſimulachra, quàm homines appellet? quis iudicio prædirus non ducat noſtram conditionem miſerrimam? qui negligamus, non exornemus,non expoliamus,in obſcuro iacere,atque obſoleſcere patiamur, quod omnino noſtrum eſt, & nobis proprium, quanam ratione, qui nos ad hunc finem adeũt eos doctrina, & moribus inſtituemus? nonne cadet in nos illud?

Turpe eſt doctori, cùm culpa redarguit ipſum? „

Laborem, & artem adiungi ſibi poſtulat igitur,in nobis præſertim. Ars enim certior eſt ipſa natura, à qua ars ipſa profecta eſt; cùm enim ad naturam eximiam, atque illuſtrem, acceſſerit ratio quædam, conformatioq; doctrinæ,tùm neſcio quid præclarum, ac ſingulare ſolet exſiſtere. Videmus quotidie, quàm multos vulgò ſummòpere contendere,vt ea augeant, quæ aut longè meliora ſunt in beſtiis,quàm in nobis, aut certè nobis communia cum illis. Et quoniam magis interdum apparere ſolet diſciplinæ alicuius dignitas,de qua mihi dicendum eſt, ſi cũ aliis conferatur, vt omni ex parte huius præſtantia pateſiat, & quàm glorioſè inter omnes incedat,perſpiciatur. Vobiſcũ reputetis huius ope carere non poſſe eas diſciplinas, quæ ad aliquam actionem perficiendam deſtinatæ ſunt;hæc libero homini conuenit,illæ verò ſeruo; ex ſeptem liberalibus artibus quantum illis antecellat, quæ in ſermone verſantur,quarum altera Grammatica nomine,altera Rhetorica dicitur, perſpicuum erit,ſi quis breuiter earum munera perpendet;omitterem Grammaticam,quam ſcio reuerē ter, & ſponte huic aſſurgere, vt longè ſuperiori; ni ſcirem aliquos, qui hanc profitentur, ita paſſim ſe oſtentare,venditareq; arduis cum ſuperciliis, vocisq; & vultus grauita

te compoſita, vt nihil pluris faciendum eſſe exiſtiment: videant hi quæſo Grammatiſtæ potius, quàm Grammatici a ſummis ſummè ſe viris derideri, qui finitiones prærancidas,& fæcutinas horum Grammaticorum appellent, qui nullam prorſus ſuarum regularum ſtabilem legem ſeruant: quid mihi iraſcimini, & ſuccenſetis ingenui iuuenes bene in Grammaticam affecti? vobiſcum ſum, plurimum ego quoq; Grammaticæ debeo, & doctiſſimi quiq;, linguam enim format, formam rectè loquendi docet, ars ſcribendi, rectèq; loquendi; & omnis ſcriptoris enarrationem continens, omniumq; ſcientiarum fons vberrimus meritò dici poteſt, ne labamur in barbariſmos, & ſolœciſmos admonet, illosq; emendat, ſi nos lapſos contigerit; ſed hæc dixerim in Grammatiſtas, qui ſe præponendos arbitrantur litteraris omnibus, quaſi neſciant breui ſe gyro ſeptos eſſe, & per hanc intra metas congruæ dumtaxat orationis ſe contineri; multum quidem dignitatis eſt Grammatice, ſed nihil ad hanc, quam iure quodam præponendam eſſe ſibi ſi loqui poſſet affirmaret: ſed ecce Rhetoricam, quæ mira quadam venuſtate,& lepore iucundiſſimo, aureoq; orationis flumine magna cum voluptate audientium, magnam vim eſſe ſuam, atq; præſtantiam perſuadeat, eamq; vetera illuſtrium virorum miracula loqui dicat, quæ de Amphyone,& Orpheo, ceteriſq; diuinis hominibus traduntur, qui ſuauitate orationis, & carminis quaſi quadam catena aurea quò vellent trahebant cœtus hominum, ſaxa, feraſq; mouebant, hoc eſt rudes, & imperitos homines ad meliorem vitæ conſuetudinem traducebant. Demoſthenem affert, qui ſolis eloquentiæ viribus contra Philippum Macedonum regem pugnabat, Græciæ libertati imminentem, validioribusq; linguæ opibus certauit, quàm populus ipſe Athenienſis tanta imperii magnitu

Gell: lib. 13. c. 19.

Ar: 6. Top. & Quinct. 1. inſt. orat.

dine. Videtur de Cicerone breuiter commemorare, qui eloquentia ſingulari, conſilio, virtute, fide armata nefaria Catilinæ arma de manibus excuſſit. Ego verò magnam eſſe ſimilitudinem inter Dialecticam, & Rhetoricam aſſentior, magno cum diſcrimine tamen. Illa lux, & lumen vitæ, & intelligentiæ dicitur; hæc comes, & interpres, quæ illius pulchritudinem declaret: Illa comite, ratio, vt cæteras artes inuenit, ita dicendi artificium illuſtrauit: hæc recte loquendi ars: illa rectè intelligendi: Perficit hæc partem quandam corporis, illa animi functiones: hæc linguam, illa mentem, cui totius Microcoſmi regnum tributum eſt à Deo Optimo Maximo: Illa ſola omnium diſciplinarum nomen, quæ ſermonem curant, vſurpauit; nam Logica dicitur à nomine græco, quod inter alia ſermonem ſignificat, quod principem locum habeat inter eas, quæ ſermonem contemplantur; Quid aliud eſt Rhetorica, quàm Dialecticæ particula quædam iudicio Ariſtotelis omnium Philoſophorum facilè principis, qui propaginem quandam appellat Dialecticæ facultatis? Quod nec Quinctilianum præteriit, qui duo ſtatuit eſſe genera orationis, alterum perpetuum, quæ Rhetorica dicitur, alterum conciſum, quæ Dialectica, quas non iniucundè ita Zenon coniunxit, vt hanc compreſſæ in pugnum manui, illam explicitæ diceret ſimilem: cognatæ profectò ſunt, ita tamen, vt ornatè dicendi diſciplina, diſſerendi facultate plurimum indigere videatur; ſi omnium eloquentiſſimo Ciceroni fidem habemus, cuius ſententia hæc eſt, Perfectè eloquentis, inquit ille, eſſe puto, non eam ſolum facultatem habere, quæ ſit eius propria fuſè, lateq; dicendi, ſed etiam vicinam eius finitimam Dialecticorum ſcientiam aſſumere. Aliqui fortaſſe eorum, qui me audiunt, ingenuè fatebuntur Dialecticæ tractationem vtilem eſſe iam diſciplinis enumeratis;

1. Rhe. ca. 2.

Lib. 1. orat. inſt.

Lib. de perfecto Oratore.

ſed

ſed quæ res ipſas meditantur, his nullũ amplius ſui vſum præbere arbitrabuntur; quòd longè nobiliores exiſtimari debeant, quæ rerum affectiones, quàm quæ ſermonem contemplantur, quibus hac in parte quantum conferat, quãtumq; excellat, nobis aperiendum eſſe duco; & omniũ primò, quid ſentiat in medium afferat Diuinus ille Plato.

In Phæ: Harum ego, inquit ille, diuiſionum, collectionumq; ô Phædre amicus ſum, vt & intelligendi, & loquendi ſim cõpos, ac ſi quem alium poſſe tum ad vnum, tum ad multa pro rerum natura reſpicere, huius a tergo tanquàm Dei veſtigia ſequor, atq; eos, qui facere poſſunt, hactenus voco Dialecticos. Nonne his verbis dicere videtur Dialecticam omnium eſſe præſtantiſſimam? nonne quàm magnificè ſentiat, ſuo in Philoſophia ore purgatiſſimo, & lucidiſſimo

Lib. 3. cõt. Ac: cap. 17. pronunciat? nonne fuit (vt placuit D. Auguſtino) temporum ſuorum ſapientiſſimus, & erudítiſſimus vir, qui & ita loqueretur, vt quæcunq; diceret magnifierent, & quomodocunq; diceret parui non fierent? is tanta eloquentia vir erat, vt Iuppiter ſi Græcè loqui voluiſſet, Platonicè ipſum locuturum affirmarent Philoſophi. Omnibus profectò anteponit diſciplinis, qui omnibus etiam viris ſuperno lumine fidei non illuſtratis, ipſe etiam non immeritò præponẽdus eſt: Videbat enim doctiſſimus iſte vir reliquas diſciplinas, fundamẽta, quibus innituntur, immobilia ita ſeruare, vt neſcirent illorum rationem reddere. Dialecticam verò ſolam, ſublatis etiam omnibus, adhuc pergere ad confirmandum ipſum principium, & animi oculum cœno barbarico obrutum hanc paulatim ſurſum trahere, ac ducere; Illud Eccleſiæ glorioſum lumen prodeat Aurelius, Au-

Aug. ibidẽ. guſtinus, qui dicat Platonem cùm adiiceret lepori, ſubtilitatiq; Socraticæ, ſubiungeretq; Philoſophiæ partibus quaſi formatricem, iudicemq; illarum Dialecticam, quæ

aut ip-

aut ipſa eſſet, aut ſine qua ſapientia omnino eſſe non poſſet, conſummatam effeciſſe Philoſophiam. Omitto penè infinita grauiſſimorum auctorum teſtimonia, quibus rem hanc eandem confirmare poſſem; ſed quid illud, an non quanti vis? quod hæc ſola alias omnes diſciplinas, vel nondum inuentas, vel in tenebris iacentes ſuo lumine ad clariſſimam lucem vocare poſſet? vt optimè de ſtudioſis hominibus, rerumq; omnibus cognitionibus mereatur. Comprobat idipſum Cicero optimus dicendi magiſter, & iudex, qui & omnium artium maximam appellet, quaſi lucem ad ea, quæ confuſè aguntur, tamq; magnum eius vſum eſſe, tamq; rebus omnibus accommodatam dicat, vt ſine ea non ſolum ſingula, de quibus in artium decurſu dubitatur, explicari non poſſe, ſed ne artes quidẽ colligi in hanc formam, quam acceperunt, omnibusq; artibus formandis neceſſariam magnopere affirmet, quod ipſum Stoici ſenſerunt, qui ſolum Dialecticum aſſererent eſſe ſapientem, nullumq; Dialecticæ expertem in oratione ſine lapſu futurum, cuius præſtantiam aptiſſimis quibuſdam comparationibus indicant, vt dicere apertè videatur hanc eſſe ducẽ, hanc dirigere, hanc ſtabilire ceteras artes, illasq; huius ope remota, fines ſuos tueri non ſatis commodè poſſe: dicunt enim Philoſophiam Animanti ſimilem, oſſibus, ac neruis logicen, carnibus Ethicen, animæ Phyſicen comparantes; ſiue rurſus ouo, eſſe quippe ſuperficiem logicen, ſequentia Ethicen, intima, & penitus abſtruſa Phyſicen: Agro frugifero circumiectam ſepem logicen: fructum Ethicen, humum, & arborem Phyſicen: Ciuitati muris optimè ſeptæ, ac pulchrè ex dignitate adminiſtratæ: quæ omnia oſtendunt alias omnes huius viribus priuatas cõſiſtere minime poſſe. Audiſtis iam quantam ferat opem artibus liberalibus; percipite modò paucis, quàm præſtet egregiam

Lib. de claris orat.

Laer: lib. de vitis Philoſophorum.

ope-

operam Philoſophiæ cæleſti, quam filius æternus ex ſinu æterni Patris detulit in terram:ingreſſa eſt hæc,vt cum do ctiſſimo quodam viro loquar,& Philoſopho,& Theologo, non ſine aliarum corona,tāquàm famula,in ſacrū,& reuerendū dominæ ſuæ ſapientiæ triclinium,& quaſi de triuiis licẽtioſis ad diſtrictum, & ſeuerum verbi Dei magiſterium diſpoſita,& aſſidere iuſſa eſt,quæ olim cùm non eſſet iſtius imperio ſubiecta,licet admodum vtilis,habita tamen præſentis temporis ratione vagabatur potius per circuitum, laſcina,garrula,verboſa, & polluta, & nil ferè operans curſitabat circa rem productam,& genitam diſcutiendam, ipſum rerum Creatorem negligens, nunc in opus miſſa eſt; vt abiecto quod ſuperfluum erat,id dumtaxat,quod expediret, omni diligentia tractaret. O Diue Hieronyme,tua ſunt omnia,& dicta,& cogitata præclarè: tu dicere ſolebas; Quidquid in ſeculo peruerſorum dogmatum eſſet, quidquid ad terrenam ſapientiam pertineret, & putaretur eſſe robuſtum, hoc Dialectica ſubuerti, & inſtar incendii in cineres,fauillasq; diſſolui,vt probetur nihili, quod putabatur eſſe fortiſſimum;hac cunctam humanam ſapientiam in nihilum redigi, quæ cùm in diuinitatem intendit, tantæ Maieſtatis luce pauidum caput tremefacta reflectit, quidquid à Philoſophia humana non rectè, ideſt non aptè ad Chriſtianam ſapientiam dicitur, potenter deſtrui, & falſum eſſe Dialectica diſputatione conuinci; hanc inquit vir iſte non minus ſanctitate eximius,quàm doctrina; hæretici Dialectici, & eloquẽtes criminantur in orthodoxis, quòd metuant Dialecticos neruos,in quo virtutem, & artis ipſius vim teſtantur,qui frequenter ad oppugnationem veritatis vtuntur Dialectica; & Rhetorica, quaſi vinculis quibuſdam ferreis, quibus teneāt ſimplicem Chriſtianum in gyris incluſū, qua & quaſi aculeo mentes humanas ſauciant:

Super Ezec.

Hiero: in Dialogo aduerſus Lucifer.

Et Aug. lib. cōt. Creſco: Gramma.

ciant:at ſi callerent Chriſtiani Dialecticam,Ars arte profecto deludetur, vt peſtilentiſſimo veneno hæreticorum veneficorum,qui nil aliud didiciſſe videntur, quàm in Chriſticolarum perniciem ſpargere venena; optimam medicinam faciamus, arma,quæ in nos iaciunt ſcitiſſimè retorqueamus in illos, telorum aciem retūdamus,victricemq; palmam tuto ad paleſtram deſcendentes glorioſè reportemus,huius dexteritate ex ſacra Theologia,tanquàm ex officina rebus omnibus refertiſſima infirmitati, & morbo quo Chriſticolas laborare volunt nominis Chriſti acerrimi inimici, medicinæ appoſitum medicamentum parare poſſumus; hac bene vtentes contra hæreticos male vtentes,veritatem defendimus,quod quid eſt aliud? quàm Ieſum defatigatum potare? O differendi vis, quid non efficis? vbi ſemel generoſa ingenia, & fideles mentes occupaſti? tu definis, tu diſtribuis, tu colligis,tu diſtinguis,tu docere doces,tu diſcere doces,tu oſtendis quid ratio ſit,quid velit,quid valeat, tu ſcire ſcis, tu ſola vis ſcientes facere, nec ſolum vis:ſed etiam potes,tu diſſolutam,conuulſamq; rem conglutinas, & ratione quadam conſtringis, à Chriſtiana profeſſione minimè es aliena,immo libenter illius ſalutarem veritatem ſequeris, de turpi voluptate effusè, & petulanter non loqueris, non fabularis ignominiosè de ſuperis, at contra quædam aliæ ſe gerunt, quæ dum mentē humanam inani quadam voluptate afficiunt, non parum obſunt; non ſoles aures peſtiferis canticis demulcere, nec animum imbuere peregrinis moribus, nullam denique morum perniciem tuis candidatis inſinuare conſueuiſti, tuū eſt efficere ne audiantur illi, qui cum, & vniuerſo generi litterarum, & honeſtati,& tibi rectiſſima intelligendi ratio ſint inimici,ad huius tam præclari boni optimam laudem, iuuenum curſū impedire conantur. Tuum munus eſt iſto- D. Aug.lib. de ord.

rum omnẽ immanitatem,& temeritatem diripere,errorem amputare,& circumcidere; petunt enim ex ſacra ſcriptura loca;vt te vocent in inuidiam hominum,eademq́; , ne rudes,& indocti videantur,recondita ſanè,& ex penetralibus veteris legis diſciplinæ ſcripta hæbraico charactere deſumunt.

Sacroſanctam doctrinam ſolum commendandam,nec abducendum peregrina, vel doctrina interprete Rabi Salomone,vel ſcientia Rabi Abrahamo, vel meditatione diuino oraculo Hieronymo vertente; atq; iterum te odio capitali afficiendam eſſe contendunt,eiuſdem diuinæ ſcripturæ teſtimonio,quòd ſophiſticã doceas,quæ plus oſtentationis habeat, quàm vtilitatis, & quæ homines irretiat fallacibus cõcluſionibus, atq; argumētis ita acutis,vt quæ falſiſſima ſunt, vera eſſe videantur: hæc præcipua dicunt, ſed nõ vident miſeri,quàm optime te contemnentes vlciſcaris,cur enim in multos,eosq; fœdos errores labuntur? vt Epicurus,non ab aliam profecto cauſſam, niſi quod eorum ſunt expertes,quæ ipſa tradis, & quod dicunt, nulla velint arte diſtingui;primum ſi Theologiam laudant, ſciãt id facere libentibus nobis,atq; approbantibus; nulli enim concedimus,vt eam plus amet pluriſuè faciat,quæ non ſolum non inſequitur Logicam, & ceteras diſciplinas, ſed maximis paſſim laudibus extollit; interdum tamen ſignificat,ſe non deberi, nec velle exigi ad iſtarum normam, verum contra fieri debere; id quod maxime rationi eſt conſentaneum;docet quidem fallacias, ſed quorſum? ne capiamur, & quidẽ, vt prauorum laqueos euadamus, quod

Eccl.12.

Eccl.33.

ſi im-

ſi impii non cauent libidinem rixandi, & puerilem quandam oſtentationem decipiendi aduerſarium, non propter hoc ars ipſa damnanda eſt, aut fugienda: Quid eſt quæſo tam bonum, quo praui homines non abutantur? Aperit inſidias; & oſtendit Dialectica quàm variè quis capi poſſit, quibus ſi quis vti ſtatuerit, non artis hoc eſt, culpa vitare fugienda monſtrantis, ſed improbitatis ſectari fugienda cupientis. Faceſſant igitur mali ſuaſores, & qui ociantur, perfricent frontem, quos quidem nil delectat aliud, quàm impetus, & impreſſiones, quas faciunt in litteratos, & pios viros, quorum profectò aliquos nominarem, niſi candor vetaret. Caueant ſibi frugi homines ab iſtorum inſidiis, qui laboribus honeſtiſſimis tendunt aſſidue quoſdam quaſi laqueos, confiteantur ingenuè inuidi, de imbecillitate, & ingenii prauitate; deſinant iam tandem deſinant alienæ induſtriæ contemptores, comprimant ſtultitiæ vocem, atq; inuidentiæ indicem. Sed iam hactenus de his. Nunc ingenui adoleſcentes per vos mihi liceat, aliqua in medium afferre, quæ per ſe ipſa ad huius vtiliſſimæ diſciplinæ ſtudium valeant incitare, & licèt ſciam veſtra ſponte vos ſatis inflammatos eſſe; non tacebo tamen cum me, & mei muneris ratio, & quædam præcipua ergo vos caritas hortetur. Hanc occaſionem vrgeamus animum huic honeſtiſſimo labori applicemus; dici enim profectò non poteſt quanto olim vobis, & religioni ornamento, futurum ſit ſtudium huius; ſine quo aditus non patet ad ceterarum rerum cognitionem perfectam, & quæ eſt veluti omnis eruditionis theſaurus quidam; hinc alia ex aliis colligere poteſtis, quidq; in omnibus optimum factu ſit videre, alioqui neceſſe habebitis ſemper ad omnia vti opera aliena, vt qui oculorum lumine carent. Non deterreat vos difficultas; memineritis, quod paſſim in omnium ore verſatur.

" *Multa tulit, fecitq. puer, ſudauit, et alſit.*

Platonemq; dicere ſolitum, Difficilia quæ pulchra. Ariſtotelem ſciētias radices amaras, & fructus habere ſuaues. Abiit apud Græcos in prouerbium hoc eſt, Dii bona laboribus vendunt. Interrogatus Iſocrates, quid puero à Parente oblato neceſſarium arbitraretur ſtylo ſcilicet reſpondit, & mente opus eſt, mihi quidem cùm in laborem inſpicio ſæpiſſime Menandri illud in mentem venit Quàm ſuaue ſapienti recordari laborem, quo quidem non conſumuntur homines, ſed magis ſplendeſcunt. Omnium profecto rerum, quæ ad vitam degendam attinent, labor, & cura ſuſcipienda eſt, ſed ingenio excolendo maximè intenti eſſe debemus, de quo quidam ait Idipſum Cleanthes Philoſophus ſpectabat: audite quæſo rem miram, qui cùm ageret vitam mercenariam noctu quidem aquam haurire ſolebat, per diem verò inſtudiis ſe ſe exercere, & cùm pecunia ad chartas emendas non ſuppeteret, quæ a Zenone præceptore audiret præſcribere in oſſibus boum, o rem admiratione digniſſimam, auiditas diſcendi erat tanta, vt quando ceteræ animantes quiete fruerentur, valde ſibi duceret eſſe elaborandum, vt die inſtudiis inuigilare poſſet; non immerito quidem, tùm eius inſignis diligentia abiit in prouerbium, vt cum velimus aliquid ſignificare ſumma cura, & induſtria eſſe elaboratum, euigilatum eſſe dicamus ad lucernam Cleanthis: negari non poteſt nihil eſſe laboris, ſed etiam poteſt affirmari huius ſtudium diſciplinæ in ipſomet littore non poſt iam conſummatam nauigationem eundem maximo præmio ſolari, neq; verò præterea

Val. Max. li. 8. c. 7. & Laert:

At contra Cci. lib. 2. Acad. quæſt. & Laert.

tanta eſt difficultas,quanta quibuſdam videri ſolet,ſi modo ingeniò,& diſcendi ſtudium,& mediocris quædam exercitatio adhibeatur, immo potius ſe præbet facilé ſuauē, iucundam,frugiferam,expeditam,pronam,nulliq; non obuiam,decoram,& venuſtam,& non,vt autumant, aſperam horridam,hiſpidam,ſpinoſam,incultam, & tetricam ; Non eſt omnis ætas apta ad ferendum quemcunq; laborem,ſed hanc noſtram defatigatio decet ; adoleſcentia enim laboris patientiſſima fertur,quem ſi fugerit, quo occupabitur? nugis quidem,quibus delectatur,peccatis plurimis inficietur,quibus eſt obnoxia; ad hāc rem multa ſunt vobis adiumenta;Percipite quæſo quæ,& quanta ſint.

H ABETIS *primò, qui foueat benigniſſimè, Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Protectorem* IACOBVM SABELLVM *omnium ſtudioſorum Mæcenatem*, quē ſic iuuat appellare,cuius fidei,& poteſtati ab initio Romanum Seminarium commiſſum fuit orbis terræ ampliſſimum,ex quo,prouidente Sabello,tamquam ex equo Troiano paſſim multi,& Illuſtes egrediuntur milites,aptiſſime quidem Mæcenatem vocabo, cuius, & ipſa domus bonarum artium, diſciplinarum, & virtutum omnium videtur Academia quædam, vbi pie, & ſapienter de his, quæ ad Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem,& dignitatem pertinere videntur,conſtituendis, ſermo eſt,vbi de litteratura, vbi de virtute,ac moribus,quo te verteris diſputari acriter, & erudite ab illis conſpicias, quos fouit, & aluit adoleſcentes, quos ſuſcepit iuuenes, ſuſceptos illuſtrauit, illuſtratos exornauit,exornatos honeſtauit,& amplificauit.Quis erit igitur animò tanta(cui ad facinus profecto nulla eſt verecundia, ſed ipſe colubros tortuoſos, & ſerpentes ſæuiſſimos per ambages curſitantes Illuſtriſſime SABELLE pro tua pro

uiden-

eiuſdemq; Ampliſſimo CARDINALI omnium virtutum optimo exemplo, cuius facilitatem, humanitatem ſingularem, qua neminem quantumuis humilem aſpernatur, magnitudinis euidentiſſimum ſignum, cuius, & pietatem incredibilem non ſolum Præceptor, qui coram vidit, & expertus vbiq; prædicat, ſed omnes admirantur; ipſe, & Monaſterium non minimis afficiebatur beneficiis.

Vt redeam igitur; ad tantam prouinciam, nihil vobis deeſt. E memoria quidem auditores, multa fluxerunt, eorũ quæ initio dicere inſtitueram: ſed gaudeo tamẽ, nam qui me audiunt cum animis ſuis reputare vberius poſſunt, quãtum ex hac vna re felicitatis adipiſci liceat.

Vos iuuenes hanc ſe ſe vobis offerentem occaſionem arripite, ſtudete, incumbite, durate in hac ſemita, quæ recto, & expedito curſu feret vos ad ſolidam gloriam: veſtra modo mens, veluti egregius quidam pictor quàm ſæpiſſimè è gurguſtio veſtri corporis egrediens, Dialectica duce, ea tantum contempletur, & ex claſſicorum auctorum voluminibus petenda ſibi ducat, quæ animi veſtri tabulæ, digna ſint, quæ inſcribantur, quàm tabulam cum res, tẽpusq; poſtulauerit (nos enim intuetur, vt vel derideat, vel vt imitetur) quaſi velamentis ablatis multitudini ſpectandã proferatis in medium, non quidem irriſione, & probro, ſed varia rerum cognitione, & ſplendore morum honeſtiſſimorũ venuſta manu depictam admiratione digniſſimam; cuius pulchritudine allectus, qui conſpicit à ſpectaculo auelli minime patiatur. Vobis Auditores, vt iam tandem vela contraham, diutiusq; non obſtrepam auribus veſtris, quantum debeo non ignoro, qui me attente, atq; benigne audieritis. Non ego ſolum, ſed omnes iſti, & optimi, & Reuerendi Patres tantum debent, quantum perſoluere difficile eſt, qui primum, vt coniicio ex ſingulis ipſorum vultibus

mecũ omne ſuum ſtudium, officium, laborem, diligentiã, & quidquid efficere poſſunt, vobis pollicentur, ac deferunt; deinde vos orant, atq; obſecrant, vt quod ſtudium attuliſtis, id in perpetuum erga nos conſeruare velitis.

IACOBVS MERCATVS A SCAPEZZANO

IOANNI MARIAE CASTELLETTAE

NE moleſtè feras praeceptor, cui magis quàm parentibus debeo, quòd haec ſit typis deprompta; quas enim compoſuiſti de ſapienter pueris inſtituendis cum litteris tũ moribus, ab inuidis canibus conſciſſae ſunt immerentes, et perierunt: haec non peribit: pauca de te ſunt addita, rogante, qui habiturus erat. perge quaeſo ad vtilitatem noſtram, vt facis, canes enim coniicientur in timorem a leonibus, qui honeſtiſſimo labori fauere ſolent.

Vale.